Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

men hoc senserit. Verum enim est deum fecisse celum et
terram. et verum est esse principium sapientiam tuam. in qua
fecisti omnia. Item verum est quod mundus iste visibilis
habet magnas partes suas. celum et terram. brevi com
plexione factarum omnium conditarumque naturarum.
Et verum est quod omne mutabile insinuat noticie nostre.
quandam informitatem qua formam capit. vel qua mutatur.
et vertitur. Verum est nulla tempora perpeti. quod ita cohe
ret forme incommutabili. ut quamvis sit mutabi
le non mutetur. Verum est informitatem que prope nichil
est vices temporum habere non posse. Verum est quod unde
fit aliquid potest quodam genere locucionis habere.
iam nomen eius rei que inde fit unde potuit vocari
celum et terra quelibet informitas. unde factum est
celum et terra. Verum est omnium formatorum nichil
esse informi vicinius quam terram et abyssum. Verum
est quod non solum creatum atque formatum. sed et iam quicquid
creabile atque formabile est tu fecisti ex quo sunt omnia.
Verum est omne quod ex informi formatur prius esse informe
deinde formatum. Ex his omnibus veris de quibus non
dubitant quorum interiori oculo talia videre donas
ti. et qui moysen famulum tuum in spiritu veritatis lo
cutum esse immobiliter credunt. Ex his ergo omnibus aliud
sibi tollit qui dicit in principio fecit deus celum et terram.
id est in verbo suo sibi coeterno fecit deus intelligibi
lem atque sensibilem. vel spiritalem corporalemque creatu
ram. aliud qui dicit in principio fecit deus celum et terram.
universam istam molem corporei mundi huius
cum omnibus quas continet manifestis notisque naturis.